



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. A Deo prohiberi dæmonem; ne plura bella serat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Neque alia de caussa gladium bellatorum mucronem Domini vocat S. Spiritus, quàm quia Dominus præcepit, vt contra hostes suos stringeretur. Ita etiam illi milites clamauerunt, *Gladius Domini, & Gedeonis.* Vtriusque enim erat; quia bellum tunc Gedeonis quidem manu, sed Domini auxilio atque autoritate gerebatur. In eundem sensum ait Abigail ad David: *Faciens Dominus faciet tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domini mi, tu præliaris.* Habemus igitur & dæmonem belli inceptorum, & hominem executorem, & Deum authorem; qui siue immittat siue permitrat bella quia iustus est, numquam debet accusari; sicut neque excusari dæmon, cuius voluntas semper est mala: homo autem instrui, quia vel iustè, vel iniustè potest arma vsurpare. Quæ si paulo deductiùs à me vultis audire, Exules, spero vos præsentis belli calamitates, non solum patienter, vt facitis, sed etiam cum consolatione laturus. Cùm itaque nutu alij, alij claris vocibus dicere me iussissent, in sequentem ingressus sum orationem.

VII.

Iudic. 7. 20.

1. Reg. 25.

C A P V T L V I.

*Magno Dei beneficio cacodæmones prohiberi, ne plura bella suscitent, qua ne homines quidem debent temerè suscipere, etsi licita sint, qua iusta sunt.*

**D**abolo bellorum inceptorum velle concionari, est Æthiopem lauare. Præterquam enim quòd ille magna est belli tuba, Martemque, quoties, & vbiicumque potest, cantu suo accendere conatur, ita tamen insuper in malitia induruit, vt nullis possit argumentis emolliri. Semper sauit. Et, si penes ipsum foret, semper bella sereret. Sed ea est Dei bonitas, vt consilia illius plerumque dissipet, machinationesque eludat; neque, sine iustissimis caussis frenum illi subinde laxet. Quemadmodum enim olim *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Egypti,* ne noceret Tobia; ita Deus sæpe malos dæmones coërcet, ne bella aliaque mala suscitent. Et vidi *Angelum,* ait S. Ioannes, *descendentem de calo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpente antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligauit eum, per annos mille:*

I.

Tob. 8. 3.

Apoc. 20. 3.

M m m m 2 mille :



mille: & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Ita ligat hostem Deus, ne mille excitet hostes. Hoc ni faceret, mundus jam dudum periisset. Bella minùs frequentia, minùs nocent. Nemo putet, multa esse, quæ Deus permittit; cogitemus potiùs, quot & quantis obstet. Non est comparatio eorum quæ fiunt, cum ijs, quæ fieri possent. Multis annis terra quieuit, & cum Mars fureret, etiam multis locis. Possent ubique, possent semper bella durare. Atqui tot obstat calamitatibus immensa Dei bonitas, quot possunt esse, quot non sunt. Cur inclementiæ acculemus beneficam illius naturam, cum vna se opponat tot phalangi- bus dæmoniorum, & vna restringat fluxum totius diabolicæ malignitatis? Non mirandum est, permitti aliquando Acheronticis hostibus, ut hostes nobis & bella excitent; mirandum est, quòd non plus faciant. Sed hæc est diuinæ misericordiæ magnitudo, quòd sanguinem humanum, sine satietate sitienti bestiæ rufæ ne millesimam quidem partem permittat. Sunt enim omnes damnati Angeli, itemque omnes impij tyranni, velut efferati leones in perniciem nostram promptissimi, sed ita diuina potentia cohibentur, ut nihil, nisi eadem permittente, cuiquam nocere possint; nec plus, nec diutiùs possint, quàm ipsi iustissimè videatur. Itaque neque excedit nostram culpam, nec fatiat, sed refrenat dæmonum iram furiamque. Gratiæ ergo Numini sunt agendæ, quòd nobiscum tam clementer agat, & nos contra tot pericula protegat, hostemque omnium immanissimum coerceat; ne semper inter arma conflictemur. Contra ipsum autem Stygium Fetialem, non paci, sed bello faciendo ex Orco egredientem, non verba perdenda, quibus non flectitur, sed arma sumenda sunt, & semper pugnandum, ne eum unquam audiamus. Quid enim, præter insidias, expectari potest ab hoste iuratissimo consilia suggerente?

II. Aliter cum hominibus agere licet, quibus etsi magna viuendi pro arbitratu licentia est concessa, multa tamen possumus bonis rationibus dissuadere, ne faciant, aut Stygio suggestori auscultent. Quem in finem etiam Poëta Horatius bellum civile detestans ita militantes compellat:

Quò